

5635  
60.  
38  
BS

D. D.  
DISSERTATIO  
DE

MORBIS

EX

HYEME,

QUAM

CONSENT. NOBILISS. & EXPER. FAC. MEDICA  
IN REG. ACAD. UPSALIENSI,

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO & CELEBERRIMO*

DN. DOCT. CAROLO

LINNÆO,

S.Æ. R.Æ. M.TIS. ARCHIATRO,

MED. ET BOTAN. PROFESS. REG ET ORD.

ACAD. IMPER. N. C. MONSPEL. BEROL. TOLOS.

STOCKH. ET UPSAL. SOCIO,

PRO GRADU DOCTORIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

SVENOBRODD,

PHIL. MAGISTER

*W-GOTHUS.*

IN AUD. CAROL. MAJ. D. II. JUN. A. MDCCLII.

HORIS, A. & P. MERIDIEM, CONSVETIS.

UPALIÆ.

• Excudit L. MAGN. HÖJER, Reg. Acad. Typ.

4848  
c. 23

VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo,

DOMINO

ENGELBERTO  
HALENIO,

S. Theologiæ DOCTORI & ad Regiam Academi-  
am Upsaliensem PROFESSORI Celeberrimo, utrius-  
que Consistorii ADSESSORI Gravissimo, PASTORI  
in Dannemarck & Districtus Ulleråkerensis  
PRÆPOSITO Vigilantissimo,

PATRONO & PROMOTORI OPTIMO.

Hinc dissertationem, in signum venerationis, &  
observantiæ summæ pignus, dicatam esse  
voluit


humillimus cultor,

SVENO BRODD.



## PRÆFATIO.

**M**ulta in nostrum usum concessit Deus, nihil tamen naturæ humanæ ita est amicum, quin idem nobis obesse possit, si perversus ejus fuerit usus. Varia, divisa quasi opera, quam sustentant, consumunt quoque, vitam; quid? quod, hæc se ipsam tempore delet, eaque vivere tandem naturaliter desistimus. Aër corpora nostra ambit, sine eo vivere, si modo tempus illud exceperis, quo in utero materno versamur, nobis datum non est; eum inspiramus & expiramus, unde, quæ in nobis ferimus sanitatis obstacula, non raro ei debemus. Hic aër mutatur qua quietem & motum, elasticitatem, gravitatem, salubritatem, humiditatem, siccitatem, calorem & frigus &c.; frigidus si quos alios, certe natos in hac plaga boreali, exercet. Hyeme concutimur, nec diu æstivis pascimur deliciis; nec hyemem, ut multi Meridionales, frigore levi & imbribus sevientem, sed alio etiam prolixo comitatu stipatum, quem infra considerabimus, tolerare nobis est necesse. Quæ itaque bona & incommoda hyems nobis adferat, non æque facile explicabit is, cui contigit sub mitiori cælo spirare, ac ille, qui in nostra Zona frigida versatur. Bono c. DEO mihi proposui: Morbos ex frigore hac lege proponere, ut primo tradam hyemis historiam & phænomena præcipua; tum morbos potiores, quos inter nos producat, atque quomodo hos evitare & per curam Medicam profligare possimus. Benignum tuum judicium in meos conatus C. L. vehementer expeto & exspecto.



## CAPUT PRIMUM.

*Hyemis historia & phænomena.*

§. I.



**U**nter æstatis modico calore omnia  
 refocillantur; Herbæ amœnitati-  
 bus abundantes de terræ gremio  
 prodeunt, incrementa capiunt &  
 florescunt, ita hyeme sæviante  
 deflorescunt illæ, exceptis Mu-  
 scis & Algis multis, exteris na-  
 tionibus raris, ut nobis sunt  
 vulgares, quibus gelu ita favet, ut in eo optime flo-  
 rescant. Dicto tempore Insecta plurima moriuntur; A-  
 ves calori magis amicæ pristina relinqvunt domicilia  
 atque meridionales petunt terras, quo ab aëris vehe-  
 mentia magis tutæ sint. *Ursus*, *Moles*, *Erinaceus*,  
*Talpa* hibernacula sua ad finem octobrîs introeunt; in  
 mense Martii revertuntur. *Vespertilio* sub hyeme qua-  
 si mortua jacet absque circulatione humorum in par-  
 tibus corporis exterioribus & *Mus alpinus* Plinii so-  
 pore per hyemen ita obruitur, ut, teste *Celeb. Reau-*  
*mur*,

*murio*, licet excitetur, mox obdormiscat. Hinc pingviora facta hæc animalia, defenduntur multum contra famem & frigus, calculum vesicæ urinariæ, ob nimiam quietem, raro evitantia. *Cyprinus* Fn. 321 luto se immergere fertur, quando gelu terram invadit; *Hirundines* excipiunt ima lacuum, reddunt easdem mitiori cælo. Quadrupedum vellera pilos gerunt hoc tempore densiores & præstantiores. *Anas* Fn. Su. 90 a) *Fringilla* fœm. Fn. 199, *Tetrao* Fn. 173 migratoriæ sunt ad meridionalia loca, vel saltem ea, ubi accessus ad aquam non impeditur per glaciem. *Alauda Motacilla* Fn. 294 & 216, nec non alii passeris insectivori, sua occupant domicilia, frigori ut conceditur nimia vis. *Cervus* Fn. Sv. 39, *Mus* 26, *Tetrao* 169, *Vulpes alba* Syst. nat. 8: 7. soli sunt, qui in frigidissimis Lapponiæ alpibus hyeme commorari audent. Miramur ipsi, quibus contigit in Svecia nasci, homines in Lapponia vivere, inhabitare domicilia aëris vehementiæ ab omni parte patula & Rangiferorum gregem die nocteque in gravissimis procellis sequi, posse; ast consuetudo multum heic facit, & ubi versamur aëri advescere cogimur.

§. II.

Hyemis initium numeramus, ad consuetudinem receptam, a solis ingressu in Capricornum, finem ponimus in primo gradu Ariëtis, licet hi termini hyemis cælestis, ut loquuntur Astronomi, non semper convenient cum terrestris, sed aliquando citius aliquando tardius veniat. Ita constans non est hæc Anni tempestas, ut non intra hoc spatium temporis mutetur qua suam vehementiam; hæc aliquoties in uno die interdum varia observatur, unde mutationes Barometricæ hyeme sunt frequentiores, quam æstate, *Mitschenb. Elem. Phys.* Nec omnibus regionibus, quæ

eandem habent Latitudinem, eadem est hyems. Unde in causis phænomenorum hujus explicandis, non solum ad Elevationem Poli, sed etiam ad naturam regionum, & ventorum, qui illa loca pervadunt, attendere debemus; Rupestria & petrosa loca frigidioram habent naturam, quam pinguis, depressa & aquis vicina terra; elevata terra fortius gelu torquetur, quam humilis; crescit enim frigus in ratione altitudinis. Vulgus in notione hyemis ad incrementum frigoris attendunt, quod pro indivulso comite recessus solis jure habemus.

### §. III.

A Boreali plaga proveniens ventus, frigidus semper judicatur, licet hic, per se, quantum observare possumus, nihil in Thermometro mutet. Nimbus autem respirationis, calefaciens corpora nostra impediendo frigoris accessum, velocius nobis per hunc aufertur, unde refrigerationis sensus molestus excitatur. Et cum homines natura æque validi non sint, hancque variæ circumstantiæ mutant, alios torquet hic ventus magis, alios minus. Summum hyemis robur experimur quieto & a nubibus libero aëre; serenus tum est sæpissime, ut die, solis debilitatos radios & nocte stellas splendentes, videamus. Mediocre frigus non reddit aërem quietum & serenum, sed nebulosum.

### §. IV.

Primum potissimumque hyemis phænomenon est *Frigus*. Non quærimus heic anxii; num frigus consistat in partium constituentium corpus quiete? vel num sit sola privatio caloris? aut num sit positiva quædam qualitas, qua tam homogœnea, quam heterogœnea congregantur? frigus ex effectis suis judicamus, illudque

consideramus vel ut sensus nostros externos afficit vel ut alia effecta in natura producit. Id frigidum a sensibus nostris putatur, quod frigidius est membro corporis nostri quo sentitur; atque ita pro mensura caloris in unoquoque homine, quod ab hoc frigidum, ab alio non raro pro temperato, habetur; Præterea in eodem loco hyems est distributus æqualiter per omne corpus, licet ferrum & lapides pluma frigidiora videantur. Ut fideles itaque æstimatores caloris & frigoris non possumus accipere sensus nostros externos, nam sæpe fallunt & falluntur. Quod ad effecta attinet, quæ in natura producit frigus, aliquid dicere proposuimus: Per experientiam constat corpora hinc contrahi, ut calore extenduntur. Ipsa durissima metalla, ne auro quidem excepto, huic subsunt legi. Lamina ferrea calore extenditur, redit ad minorem peripheriam quando frigori relinquitur (*Boerb. Chym. T. I. p. 139 & sequ.*) Annuli in Quercu respondentes intensiori frigori & hyemi, solidiores sunt. Arbores hyeme sunt minores, quam æstate. Arbores eadem, eodem semine satæ, eidem solis calori expositæ, semper sunt maximæ ad radices montium, pusillæ & arefactæ prout altius adscenditur. *Lappones* inhabitantes frigidissimum Clima corpus habent parvum, macrum (*Fn. Sv. 1. 7*) *Tetraones* (*ibid. 168. 169. 170 vid. l. c. obl. N:o 169.*) *Lepores* minores sunt in Lapponia, quam alibi. Frigore contrahuntur quoque fluida; si vase vitreo contentum spiritum vini vel aquam fontanam corpori cuidam frigido admovemus, minus, quam antea occupant spatium; hinc hyberno tempore vasa Alcohole repleta minus plena deprehenduntur, quam tempore æstivo (*Boerb. Chym. T. I. p. m. 167.*) Aër coactus gelu, arctiosibus limitibus, quam alias fieri solet, continetur.

tur. Quousque autem hæc coarctatio possit progredi, dicere non possumus; quantum adhuc notum, nunquam dicta vi potest exui omni sua fluiditate & in massam solidam cogi. *Frigore* fiunt quoque corpora solidiora, hinc adtritui quædam efficacius resistunt & durata facilius ignem & calorem excitant. Hyeme dum securi percutimus arbores congelatas, ambo hæc miram accepisse duritiem, & cum duritie non raro fragilitatem, percipimus. Ut itaque corpora nimio æstu debilitantur, ita modico frigore non pauca corroborantur, si autem hoc violentius operatur debilitat. Carnes frigore conservantur a putredine, sed si diu ejus vehementiæ manent expositæ, exarescunt & saporem amittunt.

§. V.

Sua quæque terra habet commoda & incommoda; ita Creatori placuit dona partiri, ne homines ad unam tantum regionem, relictis aliis, confluerent: Horrent Meridionales, dum audiunt ad nostrum Polum regnare gelidum ætherem, unde nostram terram pro inhabitabili multi ex eis habuerunt. Frigore concuttimur; veneramur tamen divinam curam, quæ cum eo non pauca nobis concessit bona. Frigus aërem purificat, ut raro heic impotens dominium exerceant febres contagiosæ, quæ, in calidioribus regnis civitate quasi donatæ, multa millia hominum trucidant. Verum est heic inveniri minorem multitudinem & herbarum & animalium, felices tamen in eo putemur, quod nostra terra tot non alat venenatas herbas, quot australes. Tres species Serpentum habemus, duas ex eis venenatas. Non Svecia scatet Tarantulis, Scorpionibus, Aspidibus, Crotalopheris, Crocodilibus; non nostræ aquæ ingentis magnitudinis Serpentes alunt, ut de Caspio mari narrat *Curtius L. VI. c. 18.* Frustra  
in



in Sveciæ silvis quæris Tigrides, Leopardos, Leones. Ursus & lupo nostras pecudes infestant, ut famis desiderio satisfaciant, hominesque raro invadunt.

§. VI.

Obesi, validi, cibo satiati & Maniaci frigus moderatum facilius ferunt, potissimum si necessariis instructi sunt vestimentis & exercitatio corporis accedit, seduloque curant ne calefacti labore, per subitam mutationem, quæ sanitati semper inimica, refrigerentur. Fiunt homines sani, his observatis frigore alacriores in suis negotiis, cibi majus accipiunt desiderium & svavius tempore noctis dormiunt. Torneæ A:o 1736 fluidum in thermometro Florentino ad 73 gr. numerato ab aquæ conge- latione deprimebatur & tamen homines sani se moventes ibi bene valere potuerunt. Non omnia animalia eundem gradum frigoris ferunt. Gravius algorem patiuntur animalia viribus exhausta & fame laborantia; hinc nunquam videmus Passeres hyeme mori, nisi præcesserit ea inedia, ut ventriculus eorum cibo vacuus sit; Ideo in usu quoque est proficiscentibus hyeme, sufficienter edere & frigidam cerevisiam, quæ plus, quam tepida calefacit, bibere. Male autem valent illi gelu læviente, qui delicate vixerunt; corpus insana veneris dulcedine debilitarunt; aquæ calidæ potum, quia Thea nomen habet, nimis amarunt; Melancholici, Hystericæ & alii, morbis Chronicis, laborantes. Pœnas temeritatis suæ luunt iter facientes in frigore, quando liquido illo igne, vino combusto, valide & subito ad calorem cogunt naturam, præterquam enim, quod sanguis hinc aptus reddatur ad coagulationem, solida durefcant, quod ex corporibus spiritui vini immerfis experimur & Polypis in vasis sanguiferis generandis occasio detur, debilitant ita, post breve, corporis vires, ut huic hosti externo obicem ponere non valeant,

§. VIII.

§. VII.

Quando frigus nostram Plagam invadit, sequentem videmus in Natura Metamorphosin. Ut fluidum in Thermometro ad 32 grad. depresso, est, incipit AQUA congelari & crystallos quasi in superficie lemittere; indurescit Glacies & vitri instar perlucida fit; si frigus per aliquod tempus continuat, crassescit & rigidior evadit, potissimum autumnalis (*Cel. Walleri Hydrol. 36.*), ut in hanc, proficisci & sat gravia pondera nobiscum ferre possimus. In frigore vehementi rimas agit indeterminate cum sono, qui suo fragore imitatur tormentorum bellicorum. Ea occasione magnæ moles glaciei in lacubus elevantur, & in nonnullis hæc dissolutio fit ab uno littore ad oppositum, non sine insigni piscium commodo, hinc enim purioris aëris usura eis conceditur. Videmus itaque, hos cives aquarum, per agmina & certatim, ea petere loca, ubi est quædam apertio glaciei. Hoc tegmine variæ Herbæ aquaticæ, gelu intactæ, in lacubus conservantur, ut, ne frigus quidem congelationis aquæ, ad eas accedat, ideo multæ ex his nobis sunt communes cum Indianorum aquaticis, ut, *Stratiotes, Nymphaea, Scirpus, Isoëtes, Limosella, Elatine, Hippuris, Chara*, quare etjam hæc, non juxta littora, sed in profundiori aqua, inveniuntur, quo congelatio non potest pervenire; ut nonnullæ ex his in scaturiginibus vigent, ubi continuus aquæ fluxus congelationem impedit c. g. *Cardamine, Beccabunga, Montia* &c.

§. VIII.

Quiescente aqua facilius abit eadem in glaciem; hinc flumina velociter acta & scaturigines ut plurimum apertæ sunt; & quo purior  $\nabla$ a eo citius congelari putatur; quod quoque probare videtur aquæ ex glacie acceptæ levitas, & menstrua ejus vis sat magna, in alta corpora solvenda. Hinc glacies, quæ in Medio mari inve-

Invenitur, suppeditare aquam dulcem fertur & *Warenius in Geog. gen* contendit spiritum falis communis in oceano, impedire, ne aqua hanc subeat mutationem. vid. *Cel. Prof. Wallerii Hydrol. p. 37.*

§. IX.

Si Cerevisia, Vinum &c. rigori exponuntur, tum gelu acri cogitur aqua horum liquorum fungosam in glaciem, unde spiritus generosiores facili negotio eximi possunt. Simili modo olea destillata a suo phlegmate liberare possumus. Vulgum tenet hæc opinio, cerevisiam posse a congelatione conservari, si aqua in Cella posita fuerit, quæ, quidquid est frigoris, ad se trahere putatur. Pro certo habemus, ex testimonio *Boyllii*, ova congelata aquæ immersa, citius, quam alias, exuere frigus & particulas aquæ sibi contiguas in crustam glacielem convertere, quod tamen nec lapides nec ferrum, iudice eodem, summe licet refrigerata, faciunt.

§. X.

Non omnis glacies eandem habet soliditatem, alia est fistulosa & crystallos magis distantes habet. Bullas copiosas alia possidet, ad quas aër inclusus aliquid confert, licet in glacie in vacuo formata quoque inveniatur, sed non ita copiosæ & magnæ. Solvitur glacies calore solis, si huic interponitur humiditas quædam aëris; facilius Aqua Forti, Oleo Victrioli & in vacuo, difficilius Oleo Olivarum & in aëre sicco, teste *Bojleo*.

§. XI.

Hyeme, terra quoque frigore indurescit, ut cum mortui sunt humani, non sine difficultate aperiri possit; hinc sensibiliores quidem herbæ moriuntur, reliquæ tamen a putredine conservantur; si autem nix ac-

cesserit ante congelationem, non sine ratione mala sequenti anno sibi ominatur agricola.

§. XII.

In Atmosphæra multa inveniuntur effluvia ex corporibus terrestribus defumta, ab aëre in se spectato distincta, quæ ibi fluctuantia, unita, dissipata, solent ibi excitare varia phænomena in Meteorologia tradi solita. Hæc effluvia calore solis, motu & adtractione aëris, igne tam domestico, quam vestali ipsius terræ ex corporibus caletactis, putrescentibus &c. ascendunt. Calore hæc, ut omnia alia corpora, distenduntur & prout magis auctus fuerit earum particularum Diameter, ut sub majori volumine eandem habeant materiam, decrevit respectu aëris eorum pondus, unde leviora facta altius tolluntur, hærentque eo in loco ubi veniunt in æquilibrio cum hoc. Quo aër rarior est, eo tenuiores sint oportet ipsæ particulæ elevandæ. Contra fit hyeme, in qua hæc effluvia graviora facta in altum ferre valet aër auctus multum qua densitatem. Ventorum motitationes non parum faciunt ad facilitandum hunc ascensum Meteororum. Plus de aqua exsudat ventibus favientibus, quam quieto aëre. Hyeme rariores sunt venti & corpora frigore cum suis fluidis constricta. Nix & glacies parum expirant, difficilius in vehementi gelu. Unde parci hoc tempore sunt vapores.

Hæc effluvia aquosa tempore hyemis in aëre circumferuntur, & in varia Meteora abeunt. Guttulæ aqueæ, quæ æstatis tempore sub nomine pluvie cadunt, hyeme in *Nivem* mutatæ ad nos redeunt variis præditæ figuris, quas vid. in *Muschenb. Elem. Phyl. Tab. XXIV. Profess. Wallerit Hydrologia*. Hæc cum terram tegit, a vehementiori frigore eam quidem conservat, hinc Thermometro superficiel nivis applicato, descendere fluidum ad 25 gradum; posito autem ad nivem propius terram

ram ad 16 pertingere observavit & mihi faventissimus docuit Celeb. *Profess. Strömer*. Procella sæviente mox postquam ceciderit, fertur ad ea loca catervatim, ubi obstaculum invenit, ut sepes, parietes, elevatos lapides, ut hinc contra funestum gelu defendantur semina herbarum eo pulsa. Ubi copiosa est arena non per longum tempus manet. Montes altos & silvestres diutius tegit, quam planities vastas & humiles. In Nemoribus magis quieta commoratur, sæpe ad magnam partem veris, ne herbarum debiliorum seminibus, quæ ibi inveniuntur, noxa adferatur per inclementiam aëris. Unde qui Rubum Norlandicum vult hyeme conservatum in hortis, agat, ut nive tegatur, donec præterfluxerint tetricæ & gelidosæ veris noctes.

§ XIII.

Plumulæ illæ niveæ in fortiori frigore minores sunt; subhumido aëre ampliores & facile per se solubiles observantur. Ut nix ad terram accessit, interdum remittit, interdum exasperatur frigus. secundum *Muschemb*, nunquam tamen hyemead *ακμὴν* frigoris pervenit prius, quam terra nive fuerit obducta. In constanti hyeme rarius cadit eadem, quam quando continuo remittit & iterum acuitur gelu. Quando Nix est recens, laxa est ejus massa, sed mora collabitur & in superficie ejus, potissimum si sol explendescit aliquantum, frigore formari solet crusta glacialis, supra quam, ut firma facta est, commode proficisci possumus. Nix tum albo suo colore illuminat atmosphæram nostram, ut nocte itinera quoque nostra perficere possimus; lumini tamen oculorum detrimentum adfert, si diu oculis obversatur, Unde Lappones multum de sua Ophthalmia habent. Ex nive levissimam habemus aquam & ea menstrua vi præditam, ut auro solvendo sufficere spiritus arte inde deductus dicatur. *Bartholini*

sententia, *in tract. de nive*, fallax est, quod sc. ex hac materia veterascente vermes, ope caloris, possint generari.

Natura, quæ ornavit nostra Nemora multis plantis SEMPERVIRENTIBUS, ut Pinu, Abiete, Junipero, Erica, Empetro, Vacciniis, facit, nivis ope, qua rami eorum reflectuntur ad terram, svavia sub eis habitacula, in quibus multa animacula, hyeme sæviente, se tenere possunt.

Quando nix nuper cecidit, ut crusta glaciali mox non potuerit obduci, apparent in ea vestigia animalium, quæ a positione pedum a se invicem possumus distingvere. Glires, Lepus, Sciurus &c. posteriores pedes prioribus, qui sunt minores, anteponunt; ita tamen, ut par unumquodque parallelismum servet. Genus Caninum, ut Vulpes, Lupus &c. recta in linea, Felis suo modo, collocant, unde venatores non exiguum commodum habent.

#### §. XIV.

Quando hyems vehemens est, percipimus faciem nostram frigore quasi verberari; extremitatem nasi rubere; digitos tam pedum, quam manuum, quin & dorsum, tanquam acubus perforari; respirationis facilitatem minui; interdum sternutationem excitari & oculos fieri lacrymosos. Sole quoque hoc tempore clare lucente, videmus infinitum numerum Atomorum nivalium, in Atmosphæra, non longe a superficie terræ, se motitare & tanquam totidem particulæ argenteæ ibi volitare.

Fenestræ ædificiorum, quæ ab hominibus habitantur, mirandum in modum, ab interiori parte exornantur hyeme, ut difficulter homines in plateis ambulantes per fenestram videre possimus. Est hæc tunica aqua conglaciata, picturis, plus quam Dædaleo ope.

opere confectis, splendida; augetur quotidie, quando domus modice calefit, aqua enim ad vitra avide trahitur; in aquam autem iterum mutatur, ut in eam validius suo splendore agere incipit Sol.

§. XV.

Hyeme necrarum est videre corpora obduci *Pruina*. Observatur tam remittente, quam exasperato, frigore. Mitescente cælo, guttulæ niveæ in aquam mutatæ decidunt &, ut adtingunt corpora refrigerata, in pruina mutantur; Hinc cum videmus Tempia & Lapidæ ædificia, hac pruina quadrangulari, micante contra solem, ornari, tuto auguramur frigidam tempestatem in humidam mutari velle. Hac vestiri videmus sepes, parietes, arbores, potissimum Betulam, ita splendide, ut naturæ artem non satis possimus mirari. Fit quoque simile, gelu adhuc regnante, in animalibus, ex quibus vapores exterminatæ calidæ & qua magnam sui partem  $\nabla$ sæ in pruina abeunt.

Multa animalia, quibus contigit heic spiritum ducere, hoc tempore hyemis, nivea accipiunt vestimenta. *Lepus* æstate ex rubro cinereus, hyeme albus fit. *Mustela* (Fn. Sv.  $\rho$   $\beta$ ) æstate rubescens, hyeme candida, excepta extremitate nigra caudæ; *Sciurus* (Fn. 21) æstate ruber, hyeme canus, potissimum in regionibus boream magis spectantibus, observantur. *Tetrao* (Fn. 169) *Alauda* (Fn. 194) hyeme albæ, æstate ad viridem accedunt colorem. Mirum nobis non obvenit audire loqui, de *Corvis*, *Cornicibus*, *Tetraonibus* (fn. Iv. 164) *Hirundinibus*, *Muribus*, *Vulpibus* albis. Homines ipsi heic albescent, potissimum *Lappones*, quorum corpora albissima, crinesque ut plurimum nigri sunt, facies, manusque subfusci, quod forte a fumo in eorum tuguriis provenire videtur.

§. XVI.

## §. XVI.

Alia quoque Meteora apparent bruma dominante, Lumen nocturnum Boreale inter hæc notatu dignum est, unde plebs moris antiqui & præconceptæ opinionis semper tenax, occasionem amplam accepit multa fingendi; In Lapponia fere omni nocte, tempore hyemis, observatur. Frequentius contigisse putatur in Uplandia ab anno 1723, quam antea, a quo tempore sedulo primum a Professore Burmanno observari cœpit (vid. Act. Lit. Sveciæ 1724.) Hyeme in primis apud nos apparet, interdum sereno, interdum nubeculis sparso, cœlo. Incipit a plaga Boreali, licet aliquando ab ea declinet. Aliquando diutius, aliquando per breve tempus, durat. Sequitur hoc lumen non semper frigus, sed etiam interdum calorem & humiditatem prænunciat (Musch. Elem. Phys. § 1323.). Nostram non facimus quæstionem: num hoc meteoron ad ignea, an ad apparentia, an ad utrumque referri debeat? Videmus quoque vehementi in gelu stellas cadentes, quas Brusæus narrat gelatinosa inflammabili materia constare. Musch. l. c. §. 1327. Volunt nonnulli, stellas cadentes, ventos nuntiare ex ea plaga spirantes, unde vibrantur.

## §. XVII.

Notæ hyemis persistentis sunt inter alias sequentes: Particulæ nivæ magis compactæ & minores sunt. Fumus ex accensis perpendiculariter ascendit. Atomi nivales motitantur per aërem. Sonus de campanis & aliis corporibus sonoris est validus; hyeme, frigido & cœlo sereno, sonos intensiores esse observavit Derhamus. Stridet sub pedibus, quando in nivem ambulamus. Glacies & Ligna ædificiorum cum vehementi sonitu solvuntur per moles. Stercora equorum quasi saltant, ut facillis, crederet ea vi quadam singulari elastica agi. Ipse aër tum sæpissime est serenus.

Quan-



Quando vero sua vi exuetur, pruina interdum obduci solent corpora in §. XV nominata. Atmosphæra, nubes colligit, quæ tum magis, quam antea, fiunt depressæ. Stellæ videntur nimbosæ (Vestmannis Pälfade;) inprimis si nix hyemem leniet. Anseres, ubi nulla aqua, se lavant. Nix terram tegens humescit. Fumus de corporibus accensis dissipatur & in suo motu rectilineo impeditur. Interdum Noctilucam aëream observamus, quam ego vidi nocte per Nericiam proficiscens die XV Dec An 1747 binas fulgurationes exhibentem.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Morbis ex frigore.*

#### §. I.

**N**on una via ad nos accedunt morbi refrigerationis: Interdum per consensum nervorum, quando una pars patitur, ad aliam derivantur (Nobil. D. Arch. Rosen Comp. Anat. p. 220); interdum insensibilis transpirationis & aliorum evacuationum naturalium suppressione; partim adferendo, tam solidis, quam fluidis, peculiæres mutationes, in nobis producuntur. Supprimitur multum per frigus insensibilis transpiratio, quod si moderatum est, per totum corpus sanum æquabiliter distributum, nihil periculi habet; si autem hæc evacuatio impedita, non suppletur, quod validi est corporis, vel per copiosiore excretionem alvi vel urinæ, sed corpus insigniter gravescit, tum videmus ab evacuan- dis retentis, per moram, liquorum nasci acrimoniam; naturæ noxia sanguini relinqui; eundem ad cor & interiora coactum, superiora petere, caput invadere, sopores funestos & apoplexiam, refrigeratis vulgares, (Nob. D. Arch. Rosen Comp. Anat. p. 241.) produce-  
re

re & magnæ multitudini morborum Chronicorum januam aperire. Quod ad ipsa vasa subcutanea attinet, horum fibræ gelu contrahuntur, degenerantibus liquoribus corroduuntur, ut in pernionibus videre possumus, arctiora fiunt hæc vasa, cutis exasperatur, totum corpus detumescit; ex hac dicta causa, liquida in his vasis impediuntur, obstructio generatur, unde interdum Anasarca & pustulæ per totum corpus disperguntur (*Boerb. præl. T. III. p. 539.*) Crasis itaque humorum multorum per frigus vehementer mutatur. Scimus aquam calidam, facilius quam frigida, posse solvere salina, hinc menstrua aquosa, quæ salina dissolverunt ad saturationem, in majori frigore turbantur, salina deponunt corpuscula, calefacta moderate, iterum solvunt. Est aqua in humoribus & sanguine corporis nostri magnum fluiditatis adjumentum, frigore itaque ut corripitur hic, non solvuntur, in eo & aliis liquoribus, legitime salina, concresecunt ealem & rodentem accipiunt vim; sic urina in frigore crassum deponit sedimentum; calefacta, iterum perlucere incipit; unde observavit *de Gorter*, in debili corpore renum actionem fieri imminutam ita per frigus, ut supprimatur multum ejus excretio & calculosæ materiæ generandæ occasio detur. Quis mirabitur itaque, multis in locis corporis humani, certas & sanitati inimicas stases liquorum per frigus fieri, atque Arthriticos dolores, ex retento inter articulos & immeabili facto liquore, occasionem aptam accipere.

§. II.

Qui experimenta instituerunt cum Transpiratione, intellexerunt, eam a solstitio hyemali decreescere, ut inde ad æstivum augetur. Raro quispiam apud nos frigore moritur, nisi valde debilis aut in motu parcus, frigoris jugum submissa quasi cervice subierit. Vires vitæ

vitæ frigore naturaliter augentur, unde Septentrionales vegeto appetitu, læto & ad negotia sua magis parato animo nec non robore corporis antestant plurimos Australes æstuantis soli expositos. Ex dicto decremento Transpirationis cum sole intelligimus: quare quærtana laborantes difficulter curantur ante solstitium hyemale, facilius post idem? Quare Phthifici ante hoc solstitium ut plurimum moriantur? Quare Podagricos Apoplexia eo tempore superveniat? Quare exsuccis & morbo consumptis senes, ex vivis excedunt, ut frigori majus robur conceditur? Notatu est dignum, quando hoc tempore videmus, homines hyeme morbo laborantes, & viribus exhaustos, semper rigorem molestum sentire, quando aliquid in aëre externo mutatur, licet camera diligentissime per calorem domesticum contra frigus externum muniatur, ut ex eis de aëris conditione facile judicare possimus. Perniones, Podagra &c. gelu imminens præfagiunt. Exanthematici morbi frigus non ferunt, quod forte credere facit, causam esse vivam. Mihi proposui, hoc loco, considerare potissimos morbos, quibus nostri Sveci exponuntur, dum vehementia frigoris heic maxime grassatur.

§. III.

PERNIONES sunt tumores plus vel minus inflammatae, prurientes, in extremitatibus manuum & pedum, cum immobilitate membrorum, quæ afficiunt, conjuncti, a frigore interdum majori, interdum minori provenientes. *Gorter Syst. Prax. Med. T. I. p. 5.*

Liquida, quæ partem affectam transirent, motu suo privantur heic, fit in parte tuberculum hoc durum rubescens, intumescens, palefcens cum pruritu; si locus ei datur, ut fissuræ desiccatae fiant, transit hoc in cærulefcentem colorem, demum nigrescit pars cum

C

exul-

exulceratione & gangrenæ metu, donec ultimo in sphacelum terminatur. *Junckeri Chirurg. de Pernione.*

Secundum gradus itaque *Perniones* dividimus I:º in *simplices*, five quæ non sunt exulceratæ, & 2:º in *Exulceratas*, quæ interdum ad ossa propagatæ, faciunt in eis *Cariem*. *Simplices*, ut leviores sunt & suo dolore magis tolerabiles, ita si prudenter tractantur, minus periculi habent; hoc tamen incommodum eas sequitur, quod difficulter ita curentur, quin sequente hyeme, vel ex levissimo frigore, redeant; & quo sæpius profligatæ fuerunt, eo difficiliore evadunt. Potissimum caveat sibi, statim in initio, pernionibus laborans, ne partem affectam, subito calori, post refrigerationem, exponat. Recentes & leviores, aquæ vel nivis, temperate frigidis, immergantur & modice fricentur, adhibeantur res solventia acria, ut *Oleum Petræ*, *Terebinth.*, *Bals. Sulphuris*, quorum usus non ita proficuum est in gravioribus & exulceratis, quæ potius requirunt mortuarum partium separationem vel per septica vel per sectionem; tum mundificantia, inter quæ *Practici* commendant *Oleum Myrrhæ p. d.* cum oleo ovorum mixtum. Si *Pernionum* morbus abiit in consuetudinem, caveat sibi hoc malo laborans diligenter a frigore, & ut vel minimum dolorem in parte antea pernionibus tacta sentit, eam præservet a malo illiniendo parti *oleum Petræ* vel *Balsamum Sulph.* *Interna remedia alii* commendant, alii pro minus necessariis habent, *Gorter, Juncker.*

Vulgo est in usu contra simplices & recentes perniones uti *Rapis* gelu colliquatis cum *Butyro* non salito; pomis putridis. Ab eis laudantur quoque scybala equina gelu constricta & parti dolenti imposita. *Lappones*, opponendo igni frustum casei *Rangiterini*, oleum colligunt, quo partem dolentem illinunt.

Tacitus nec heic præterire debeo remedium singularis efficaciam in hoc morbo, a Nobilissimo D: no Præside, gratiosè mecum communicatum, cujus specificam & fere infallibilem vim multoties expertus est, cum erat Medicus Classis Navalis. Est illud spiritus Salis  $\dagger$ : dus, quo Pernio irroretur aliquoties, donec cessaverit malum, quod brevi contingit & sic radicitus extirpatur absque recidivæ metu. Observandum tamen est, hujus usum potissimum laudandum esse in non exulceratis, si autem fissuras egerint, patimur partem Pernionibus tactam, primum cute obduci & dein hoc illiniri.

§. IV.

PARONYCHIA, *Panaritium*, est dolor ad manuum pedumque articulos incipiens, horrendus, infolens, qui, si in malignum abierit, abscessum cum carie ossis generat. Quo altius hic morbus pervadit, eo periculosior fit; sæpe totum brachium hujus mali confortem facit, unde interdum convulsio & deliria sequuntur.

Repentinæ caloris & frigoris humidi mutationes hoc, inter alia, faciunt, quando e. g. manum calidam aquæ congelatæ immergo. Hæc Paronychia non tantum in Helvetia. *Eph. Nat. Curios. Cent. VI. ap. 173*, sed etiam nostra in Patria grassatur. Sequentes hujus species habemus:

Sp. I. a *Paronychia articuli* digitorum vulgo *Panaritium* vel *Reduva*. Est ea in primis lotricibus & piscatoribus Endemia. In hoc malo oleum, quo tendines inunguntur, coit, fit acre, corrodit tendines & periostium cum inflammatione, Carie & gangræna. Dolor die nocteque est intolerabilis.

Multa remedia contra hanc laudantur, ut immersio manus, statim in principio, in Aquam, quantum tolerari potest, calidam, Spiritum Vini Camph. leniter Crocatum. Alii svadent Lumbricos Vivos parti affectæ

fectæ imponere. In vehementiori laudantur V. S., Clysmata. Pro usu externo varia spirituoſa heic commendantur, ut ſp. armon., Elix. Vitæ, Effentia Croci, TR: Opii, Camph. Cataplaſma ex Allio, Scordio, Hyoſeyamo in lacte coclis, impositum, multum juvat. Solani herba recens, contuſa cum telis Araneorum & Lardo rancido a ruſticis uſurpatur (vid. Iter Gothland. p. 209.); ubi autem ſtagnatio eſt profundior, ſæpius incifione opus eſt ad os uſque, ut pus exeat, & digitus defendatur a carie offis, obſervatis tamen flexoribus digitorum, ne detrimentum accipiant. Manus autem & reliquum brachii ab hoc malo per dicta ſpirituoſa & fomentationes defendantur, & digito Theriaca, in Spiritu Vini ſoluta, applicetur.

Sp. 2. PARONYCHIA *Pollicis Pedum* (Allen Synop. Med. Pract. Cap. XII. art. 30). Eſt inter periculofiffimas; inopinato accedit dolore cum atroci & ſæpe gignit Gangrænam, Sphacelum & Mortem, niſi reſectio partis huic malo obicem ponit. Ætate provecti hoc malo in primis invaduntur.

Sp. 3. PARONYCHIA *Manus* (Platner 143, 144). Nob. *Præſes* hoc malo tactus fuit, cum proficiſcens inter *Parifios* & *Fontem bellilaqueum*, manus ejus calefacta ſolis calore, per imbrem ſubito refrigeraretur. Invaſit cum dolore vehementiſſimo, quod tamen malum poſt aliquot horas ſuperavit, immergendo manum t:to. Omnem heic moveamus lapidem, ne hic morbus longius pervadat & pus ipſa oſſa corrumpat. Minus hæc ſpecies apud nos eſt vulgaris.

Sp. 4. *Zona Rubra* per cutem cubiti aſcendens *van Swieten Comm. 163.* peſſima eſt hæc, ubi tendines flexorum digiti afficiuntur *Rubra Zona*, per cutem cubiti longitudinaliter, ſecundum ductum muſculorum, digitos flectentium, decurrens, unde acutiſſima

ma febris, convulsio & mors; hanc etiam speciem, cum apud nos minus frequens sit, præterimus.

Sp. 5. *PARONYCHIA sub ungue* (Platner 142.n.2. Sv. *Nagelprång*) Est in nostra Svecia vulgaris tam infantibus, quam provectioribus. Erumpit non raro quando manum calidam, aquæ frigidæ immittimus; vel de calida camera in frigorem eximus. Atrox heic est dolor digiti, in primis ad radicem unguis, unde ille non raro solvitur, quod impediri potest, si idem ad lunulam perforatur & pus effluit.

*CONGESTIONES Hyemales* (Sv. *Flussar*) in nostra patria frequentes sunt & causæ plurium morborum. Incipiunt cum dolore tensivo, interdum punctorio, multæ partes capitis & colli intumescunt ex infractu vasorum. Quo sæpius in consuetudinem venerunt, eo facilius data occasione redeunt. Qui calorem domesticum, vitam sedentariam, delicatam, otiosam amarunt & corpora sua variis modis debilitarunt, his torquentur incommodis. Invadit Aulicos & Dominas molliter educatas, præ rusticis. Vim hyemis tum in primis experitur caput, quando contra injuriam frigoris non bene defensum, lata porta, Coryzæ, Otalgia & Odontalgia, aperitur. Quibus dentes sunt cariosæ, hac ultima cum febre quadam cruciantur, quæ medicamentis ordinariis contra hunc morbum non profligatur. Morbo hoc detentus, frigus sedulo vitet. Laminas membranaceas plumbeas denti carioso, quantum fieri potest, ante purificato, inprimat, vel, quod melius, extrahat dentem; temporibus Emplastrum de Meliloto applicet! & si Intermittens stas redierit temporibus, quod mihi præterlapso anno contigit, utetur, observatis observandis, Cortice Peruviano. Ubi hæc congestiones Clavum Capitis aut Hemicraniam producunt, præter alia commendantur Olea calidissima destil-

stillata e.g. Ol. Terebinth. Spicæ Junperi &c Si morbus fue-  
 rit recens, sufflaminatur sæpe unico *subdorifero*; Fomen-  
 tationes †:to, vel, quod melius, illin'tiones Ip. Salis †:do fa-  
 ctæ, non raro utramque paginam in hoc pellendo, abtolvunt.  
 Id, quod horum congestionum genesis evidentissime  
 explicat legere possumus in Itinere W-Gothico *Nobiliss.*  
*Dni Præsidis p. 18* quod heic, ob rei meliorem lucem,  
 apponere volui: *Congestio, ut verbo dicam, est*  
*species Catharri, & efficitur, cum flatus vehementior*  
*frigidus invadit corpus humidum, cujus pori calore aper-*  
*tiores sunt, unde sudor coagulatur in poris, qui quam*  
*citissime contrahuntur, & tali modo efficiunt, ut trans-*  
*spiratio omnino eo in loco cesset; quæ omnia ex sequenti*  
*casu patent: Agrotus consulebat, qui ante duodecim an-*  
*nos in parva quadam camera habitaverat, ubi caminus*  
*lateritius positus fuit in pariete quodam magno. Habi-*  
*tatoribus hujus atrii, quotidie ad frigus depellendum,*  
*neesse fuit caminum lateritium calefacere, unde hoc con-*  
*clave, calore abundabat nimio, ita ut hic fenestram*  
*sæpissime semiapertam habere cogeret, quamvis byemis*  
*vis duraret; quo ær frigidus in calidum ejus corpus*  
*& nudum ejus collum incidit, unde vehemens conge-*  
*stio provenit, ut dimidium caput cum parte illa colli,*  
*quæ fenestræ obversum fuisset, intumesceret; ita ut egro-*  
*tus in initio nec humidum, nec siccum deglutire voleret.*  
*Ad hunc morbum depellendum, per plurimis & diversis*  
*usus est medicamentis sibi a Medicis præscriptis, sed abs-*  
*que expectato eventu bono, donec persuasus a me par-*  
*tem morbo contaminatam aceto calefacto, cui sapo vene-*  
*tus erat immixtus, lavaret, quo morbus fere sedatus est, exce-*  
*pto, quod uvula intumesceret, cum quadam angina, quæ tan-*  
*tum ipsas occupaverat fauces, & catharrum arilum induce-*  
bat,



bat, nec non perpetuum susurrum, aurium, quod omne  
hucusque egrotum inquietavit, sine tamen lesione auditus

TUSSIS est anniversarius morbus in nostra patria,  
qui, certis temporibus, frigus tam humidum, quam sic-  
cum sequi solet, ita sæpe universalis, ut, propter cla-  
mores tussientium, non possimus interdum audire lo-  
quentes in Templis & Academiis. Qui observanda de  
hoc morbo videre amat, adeat, inter alios Practicos,  
binas Disputationes Celeb. Lundensium Profess. *Eberhardi  
di Rosen. de Tussi.*

(PLEURITIS. Rustici nostri, qui in itineribus suis  
frigore multum gravantur, utuntur in diversoriis suis vi-  
ni combusti profusa & immodica ingurgitatione, contra-  
hant hoc potu morbum illum funestum & ei misere suc-  
cumbunt multi, ut elegantissime hujus veneni vim mon-  
stravit Doct. *Allen in synopsis. med. practicæ p. 574.* Ine-  
pte corpus ad calorem cogunt, unde frigori magis pa-  
tulum, hunc vitæ hostem invitant quasi. Pleuritis eos  
quoque exspectat, qui calefacti labore, imprudenter ge-  
lido aëri se committunt.

PERIPNEUMONIA. Est hic morbus Cuprimona-  
tanis potissimum infestus; præter frigus vehemens, mul-  
tum ad hanc passionem confert vapor suffocativus & sul-  
phureus fodinarum; unde Peripneumoniam heis  
pro morbo Endemio reputat Exper Medicus hu-  
jus Provinciæ D. Docteur *Kablmeter.*

S. D. G.



... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia

**KLIVRTIS** Istius nobis, qui in...  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia

**PERRIVEMONTIA** His hic modus...  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia  
 ... hinc autem fortiter... quod omnia

Dr. C.



Handwritten scribbles and marks, including what appears to be a signature or initials, possibly "Kluzh" and some numbers like "9" and "11".